

## TRACTATUS XIV.

De Sacramento Pœnitentiæ,  
Extrema unctione, &  
Ordine.

## PROŒMIUM.

**A** Sacramento per quæ regeneramur, consolidamur, & alimur, recte fit transitus ad ea, quibus a morbis animæ liberamur, nempe ad Sacramentum pœnitentiæ quo peccata tolluntur, nec non ad Sacramentum extremæ unctionis, quo peccatorum reliquiæ absteruntur. His vero annexæ Ordinis Sacramentum, per quod Ecclesiæ de idoneis Rectoribus, & ministris providetur.

## CAPUT I.

## De Pœnitentiâ.

## §. I.

## De Pœnitentiâ ut est specialis virtus.

**P**œnitentiâ est virtus tendens ad destructionem peccati, in quantum est Dei offensa, media satisfactione, & dolore. Vel: est virtus offerens Deo debitam satisfactionem, & dolorem pro peccatis. Tract. 7. cap. 1. num. 2. Duplex est pœnitentiæ actus: perfectus, & imperfectus. Actus pœnitentiæ perfectus, qui dicitur contritio sic definitur: Contritio est detestatio, & dolor super omnia de peccato commissio, quatenus est offensa, & injuria Dei, & propter Deum summe dilectum, intentione abolendi, & resarciendi illam, cum proposito non peccandi de cetero. Hic actus in sua intrinseca ratione includit ordinem ad actum formalem dilectionis Dei, & conjungitur cum illo. num. 10. 13. Actus pœnitentiæ imperfectus, qui attritio appellatur, sic definitur: Attritio est detestatio, & dolor imperfectus de peccato, non attingens ad perfectionem contritionis; est tamen supernaturalis, & absoluta detestatio peccati cum spe veniæ, disponens hominem ad gratiam remotæ, & insufficienter ex se sola, & sufficienter cum Sacramento pœnitentiæ. nu. 16. "Omnes attritiones ortæ vel ex consideratione turpitudinis peccati, propter oppositionem ad virtutes supernaturales infusas; vel ex metu pœnarum inferni, & purgatorii, & aliarum, quas a Deo auctore supernaturali induci possunt; vel ex metu amissionis gloriæ, sunt imperfectæ, & quoad substantiam supernaturales." Tract. 14. Disp. 7. nu. 6.

2. Pœnitentiâ in omni lege semper fuit necessaria, necessitate mediæ lapsis in peccatum mortale. Tract. 6. cap. 1. nu. 20. In lege Gratiæ post commissum peccatum mortale, non est necessaria contritio suscipienti Baptismum, vel pœnitentiæ Sacramentum, sed sufficit sola attritio: at extra Sacramentum Baptismi, vel pœnitentiæ peccator sine vera contritione saltem virtuali, per se, & ordinariè loquendo justificari non potest; quia cætera sunt Sacramenta vivorum, licet per ea interdum quis justificetur cum sola attritione, sicut homo ex attrito contritus. num. 22. 23. Est etiam necessaria pœnitentiâ lapsio in peccatum mortale, necessitate præcepti divini, & naturalis. num. 24. Si quis nullam peccati gravis memoriam habens, per accidens justificetur, ratione actus dilectionis, adhuc de eo tenetur pœnitere cum clavibus subjiendum est. nu. 29. 30. Per accidens peccator Sacramentum pœnitentiæ non suscipitur, vel quia non adest copia Confessarii; vel obligatio tunc confitendi, ad efficiendum actum veræ contritionis tenetur. 1. Si Sacramentum aliquod vivorum suscipere, vel quodcumque Sacramentum ex officio ministrare debeat. 2. Si positus inter peccandi occasiones gravibus tentationibus vexetur, quas credat se moraliter vincere non posse, nisi ad Deum

con-

converti veniam, & auxilia opportuna obtineat. 3. Si ob suum peccatum certo credat graviter puniendam fore communitatem. In his tamen tribus casibus cum obligatio non oriatur per se ex præcepto pœnitentiæ, ejus ommissio non erit peccatum speciale. num. 31. 32. 33.

3. Peccator peccati commissi memor, per se sub gravi obligatur ad actum contritionis in articulo mortis, si non susceperit pœnitentiæ Sacramentum cum attritione cognita. Per se insuper sub gravi obligatur, (si alia via non justificetur,) ad non manendum, seu ut non maneat ultra annum in peccato. Non autem obligatur, (ut aliqui volunt,) confiteri statim ob metum oblivionis, vel sæpius, vel ut se disponat ad orandum pro publica calamitate, vel diebus festis. Tract. 6. cap. 1. num. 34. 39. 47. &c. Pœnitentiâ est virtus specialis a reliquis omnibus distincta; & est pars potentialis justitiæ commutativæ. Concurrunt effectivè moraliter ad expulsiorem peccati quoad rationem offensæ Dei. n. 65. 83. 95.

## §. II.

**De institutione, essentia & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ. De ejus materia remota, de dolore peccati requisito ad ejus valorem, & proposito non peccandi.**

4. Pœnitentiâ est Sacramentum novæ legis a Christo Domino secundum essentialè ritum institutum. Tract. 6. cap. 2. nu. 1. Pœnitentiâ est Sacramentum consistens in actibus pœnitentis, & Sacerdotis legitime absolventis in modum fidei. Confessio, & dolor sunt partes essentielles, per modum materiæ; absolutio vero est pars essentialis per modum formæ; satisfactio autem est pars integralis. nu. 4. Hoc Sacramentum in lege nova necessarium est necessitate mediæ, vel in re, vel in voto, supposito peccato mortali post Baptismum com-

missio: hujus autem Sacramenti votum implicite in actu contritionis continetur; nec requiritur votum explicitum. n. 18. 23. Forma hujus Sacramenti hæc est: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* Hæc omnia verba sunt de essentia formæ, vel explicitè, vel implicite. In illis duobus verbis. *Absolvo te*: super hanc confessionem promittuntur omnia verba formæ implicite continentur; illa tamen verba: *a peccatis tuis*: nunquam omittenda sunt. cap. 3. nu. 1. 2. Ad valorem Sacramenti non est necessaria invocatio SS. Trinitatis: ejus autem omisio secluso scandalo, & contemptu est saltem peccatum veniale, nisi aliqua rationabilis causa excuset. nu. 3. Nec fuit necessaria illa verba: *Auctoritate*, &c. Pronomen *te* est necessario in forma exprimendum. nu. 4. 5.

5. Potest Sacerdos his verbis: *Ego te absolvo*: valide uti ad absolvendum simul a censuris, & peccatis; non tamen hoc licite fieri potest, & absque peccato veniali, nisi in casu necessitatis. Validum erit Sacramentum si pro verbis: *Absolvo te*: dicatur *remitto tibi*: vel *condono tibi peccata tua*: vel; *Tu absolveris a me*: vel (auctoritatis gratia,) *Nos te absolvimus*: vel *Absolvo dominationem vestram*, vel *Majestatem vestram*: vel si plures simul in periculo mortis constitutos absolvat dicendo: *Absolvo vos &c.*; (quod in tali casu etiam licitum est; ) quia non adest mutatio substantialis. Verum tales formæ immutationes sunt ad minus peccatum veniale. Invalidum est Sacramentum si dicatur: *Unam absolvo* vel *Absolvo te Deus*: quia datur mutatio substantialis. Formæ dubiæ sunt; ac proinde profusus illicitæ: *Placet quod absolvo*: *Subeo te absolvi*: *remittuntur tibi peccata tua*: *Absolveris a peccatis tuis*: & his uti erit peccatum mortale. Tract. 6. c. 3. nu. 11. 12.

6. Valida est absolutio sub conditione de præterito, vel de præsentis five expressa, five mente concepta; si conditio posita sit; & etiam licita si adstet ratio-

na-



nabilis causa, ut cum quis dubitat an formam protulerit: an adsit materia sufficiens; an pœnitens sit rationis compos, absolutionis capax, an vivat &c.; invalida autem est sub conditione de futuro. Tract. 6. cap. 3. num. 21. 22. 23. Absolutio sacramentalis absenti collata per nuncium, vel epistolam, non solum est illicita, sed & invalida, num. 24. Forma hujus sacramenti necessario, & essentialiter in verbis consistit; nec potest scriptura nutu, aut aliis signis exprimi. nu. 30. Etiam si Sacerdos adstantem inoribundo consenti peccata sua repente usu linguæ privatus sit, & absolutionem non possit ore proferre; non potest talis Sacerdos absolutionem rite, aut valide scripto, aut signis impendere præterquam vocalibus verbis; & aliter absolvere, sacrilegum, & frustraneum est. n. 32.

7. Materia remota, seu circa quam sacramenti pœnitentiæ sunt sola peccata actualia post Baptismum commissa. Tract. 6. cap. 4. num. 9. Non solum fictio, quæ est indigna susceptio sacramenti Baptismi, sed etiam peccata commissa in ipso instanti terminativo Baptismi sunt materia sacramenti pœnitentiæ. num. 15. Ex iis quæ pertinent ad sacramentum penitentiæ sola peccata mortalia post Baptismum commissa, & nondum rite confessæ sunt materia necessaria sed sufficiens. num. 18. 19. 22. Materia sacramenti pœnitentiæ est peccatum, quod vere, & realiter commissum est: unde peccatum dubium, quod revera commissum non fuit, valide non apponitur pro materia confessionis. Peccato dubio adungi debet aliud certo commissum saltem veniale, ut vitetur periculum nullitatis sacramenti. Pœnitentia, a quo materia certa haberi non potest, non debet absolute, & simpliciter impendi absolutio; sed id exigente necessitate, sub conditione licite absolvi potest. num. 23. 24. 25. Materia proxima sunt actus pœnitentis, nempe dolor de peccato cum proposito non peccandi,

eius confessio, & satisfactio. Tract. 7. cap. 4. n. 38.

8. Attritio ut est pars sacramenti pœnitentiæ debet esse supernaturalis, vel suppositivæ, & specificæ, vel saltem quoad modum, seu ex parte finis operantis. Attritio naturalis credita invincibiliter supernaturalis non sufficit ad valorem sacramenti. Tract. 24. Disp. 7. num. 17. 22. Si quis scienter cum attritione inefficaci, (talis autem est quæ admittit actualem voluntatem peccandi, vel formalem, & expressam, vel virtuales, & implicitam,) accederet ad sacramentum pœnitentiæ peccaret mortaliter, quia scienter poneret obicem gratiæ; ideoque nullum efficeret sacramentum. Igitur ad fructum, seu effectum sacramenti requiritur attritio efficax, num. 25. 26. Ad valorem sacramenti non sufficit dolor quem aliqui virtuales appellant: *dolor quod non habeam dolorem de peccatis*. nu. 67. Si dolor non se extendat etiam ad ea, quorum non est memoria, saltem virtualiter, & implicite, ratione generalis motivi, ex quo procedat, scilicet offensæ Dei iusti iudicis, timoris inferni, amissionis gloriæ, turpitudinis peccati, ejusque oppositionis ad virtutes insulas, non sufficit ad effectum, & fructum sacramenti; & in probabiliori sententia neque ad valorem sacramenti. Igitur pro valida, & fructuosa confessione requiritur, & sufficit unicus actus doloris supernaturalis de peccato sub motivo generali, & communi offensæ Dei &c. n. 78. 80.

9. Ad dolorem pro sacramento pœnitentiæ nulla requiritur intensio, sed sufficit ipse dolor secundum essentiam consideratus. Tract. 24. Disp. 7. num. 71. Unus, & idem doloris actus si formaliter, vel virtualiter perseverare potest deervire pluribus confessionibus eorumdem peccatorum; secus vero si habitualiter tantum permaneat. Est autem permanentia tantum habitualis, quæ non durat actu formaliter, vel virtualiter, sed fuit aliquando, & non est

est positive aut contrarie destructa, modo tamen nec est in se, nec in aliquo sui effectu, nec in quadam consueta repetitione. num. 114. &c. 121. Ex suppositione quod quis venialia confiteri velit, & esse hujus sacramenti materiam, necesse est, quod de iis doleat; confiteri autem sola venialia, sine illorum dolore est peccatum mortale. Remissio venialium semper supponit gratiam in subiecto cui fit; si ve gratia tunc primario producatur, si ve supponatur producta; si ve remissio fiat in sacramento, si ve extra. Peccatum veniale cum mortali conjunctum remitti nequit quin mortale remittatur, & quidem prius ordine nature. nu. 128. Licet sacramentum pœnitentiæ nequeat remittere unum mortale quin remittatur omnia; potest tamen remittere aliquod, vel aliqua venialia, ceteris non remissis. n. 129.

10. Dolor qui est pars sacramenti pœnitentiæ debet præcedere absolutionem, ita quod ante ipsam manifestetur per suspiria, lacrymas, tusionem pectoris, vel humiliando se coram Sacerdote, & absolutionem petendo, & expectando. Tract. 6. cap. 5. num. 22. 26. Nullus actus peccatoris sufficit ad remissionem venialium. Sola attritio in peccatore non sufficit extra sacramentum ad delenda peccata venialia. Nullum peccatum veniale remittitur quandiu voluntas formaliter, vel virtualiter illi adhæret. Per quemcumque perfectæ contritionis actum, tolluntur respective omnia venialia, ad quæ se extendit. Actus dilectionis sufficit ad remissionem eorum venialium, quorum contritio in eo virtualiter continetur. Probabile est veram attritionem sufficere etiam sine Sacramento ad remissionem venialium in iustis, illorum scilicet ad quæ se extendit, si sit supernaturalis & efficax, num. 28. &c. Confiteri aliquod veniale sine dolore in ea confessione, in qua alia cum legitimo dolore aperiuntur, dummodo non fiat ex prava intentione irritandi sacramentum, quoad illa, non est peccatum mortale; nam forma absolutionis ex intentione

Sacerdotis dirigitur ad peccata rite confessæ. n. 38. 39.

11. Peccatum veniale conjunctum cum mortali per se cum illo remittitur ex opere operato in Sacramento pœnitentiæ, vel Baptismi; per accidens vero in susceptione aliorum Sacramentorum, supposita tamen semper attritione ad illud veniale se extendente. Tract. 6. cap. 5. nu. 45. Sacramentalia non habent immediate, & ex opere operato remittere peccata venialia, sed ad summum excitando aliquem motum, vel impetrando auxilium, quibus homo moveatur ad pœnitentiam. Sunt autem sacramentalia: Oratio Dominica: oratio facta in Ecclesia consecrata, vel cum tunc in ore pectoris: aqua benedicta: eius panis benedicti: confessio generalis: elemosyna: & benedictio Episcopi, vel Abbatis consecrati. nu. 48. 50. Peccatum veniale ante mortem non dimittitur, (potest enim quis mori in actu peccati venialis, vel cum complacentia illius,) remittitur post hanc vitam, quoad culpam per actum charitatis erga Deum venialibus repugnantem; non tamen quoad pœnam, quia talis actus meritorius non est. n. 51.

12. Propositum non peccandi formale, vel virtuale necessarium est ad pœnitentiæ sacramentum; cum hoc autem stare potest, quod pœnitens timeat, vel etiam existimet se tale peccatum non vitaturum, si ve veniale, si ve mortale illud sit. Tract. 6. cap. 5. nu. 52. 53. Sufficit propositum virtuale quo quis ita detestatur peccatum, ut si menti occurrerent peccata futura, firmum eliceret propositum ea cavendi; semper tamen in praxi tutius est, & consulendum propositum actuale. nu. 54. Propositum requisitum ad remissionem peccati mortalis non comparatur cum actuali, vel habituali affectu ad aliud mortale: at propositum requisitum ad remissionem unius venialis potest stare cum habituali, & etiam cum actuali affectu ad aliud veniale. Propositum vitandi venialia non est necesse, quod sit ita firmum, & absolutum sicut propositum vitandi



mortalia, sed sufficit propositum ea vendi prout humane fragilitati possibile erit; nam omnia collective vitare impossibile est. nu. 55. Dolor, & propositum de peccatis venialibus ex motivo generali omnibus communi verb. gr. offensas Dei &c. non deficit quoad venialia graviora per admissionem unius venialis levioris ante absolutionem; consultum tamen est pro sacramenti securitate renovare dolorem, & propositum de omnibus. n. 56.

13. *Occasio peccandi duplex est: proxima, & remota. Occasio proxima est, qua peccati creditur, vel credere debet, se inquam, aut raro usurum sine peccato mortali: vel Quae ex genere suo talis est ut frequenter homines simili conditionis inducat ad mortale peccatum: vel Quae ut experientia constat, in hoc homine talem effectum habet.* Remota vero appellatur quae talis non est. *Tract. 6. cap. 5. nu. 57.* Potest peccator persistere in occasione solum remota, & habere verum propositum non peccandi. Qui est in occasione proxima, & cum possit sine gravi detrimento eam deserere, non vult, non videtur habere verum propositum non peccandi. Quando occasio proxima, vel physice relinqui nequit, vel moraliter sine gravi detrimento, infamia, aut scandalo, non tenetur peccator illam omnino relinquere; tenetur tamen postulare divinum auxilium, & ea adhibere remedia, quae vera poenitentia, & prudens Confessarius dixerit: his enim adhibitis, quae alias erat proxima, non amplius erit talis. num. 58. 59.

14. Ex dictis colligitur, absolvi non posse eum, qui est in occasione proxima consensuendi saemina, vel faciendi opus, quod dubitatur esse mortaliter peccaminosum, eamque deserere non vult, cum possit: similiter quando occasio in hominum opinione proxima est propter scandalum. Quod si res mutatae sint, ita ut & peccati periculum & scandalum cesset, absolvi potest. *Tract. 6. cap. 5. n. 60. 61. 62. 63.* Non potest absolvi concubiniarius qui non vult dimittere concubi-

nam nimis utilem ad oblectamenta etiam licita. n. 64. Vid. prop. 41. damn. ab Alexandro VII. & 62. 63. damn. ab Innocentio XI. Absolvi potest poenitens, qui non separatur ab occasione peccandi, quando occasio, vel physice non potest relinqui, vel moraliter sine gravi infamia, magno detrimento, aut sine scandalo, & poenitens prudenter creditur accedere cum legitimo dolore, & proposito non peccandi, paratus omnia adhibere remedia, quae prudens Confessarius dixerit, quibus adhibitis prudenter creditur non casurum. Quod si non appareat emendatio, utile erit, immo aliquando, & necessarium differre absolutionem, maxime si non constat de firmo proposito. n. 64. 65. 66.

15. Si ex circumstantiis Confessarius prudenter iudicat poenitentem non habere sufficientem dolorem, aut propositum, quamvis asserat se habere, neganda est absolutio: secus si sit sufficienter dispositus, & ex dilatione absolutionis timeatur potius damnum spirituale, quam utilitas illius. Si Confessarius prudenter timeat semel absolutum non amplius curaturum servare promissa, & ex dilatione absolutionis speret in se reverfurum, expedit eam differre. *Tract. 6. cap. 5. n. 67.* Et qui tenetur deserere occasionem peccandi, regulariter differenda est absolutio: donec de facto deserat; & hoc praecipue in concubiniariis, qui nunquam ante debent absolvi. nu. 69. Vid. prop. 61. damn. ab Innoc. XI. Poenitens tenetur ad diligens examen de peccatis mortalibus, attenta qualitate personae, multiplicitate negotiorum, diuturnitate temporis &c. non tamen requiritur summa diligentia, sed ea quam prudens vir in gravi negotio adhiberet. Non tenetur qui lubricam habet memoriam, peccata scribere, quia haec est diligentia extraordinaria, & pluribus diligentia soluta. Qui posita debita diligentia solum recordatur se mortaliter deliquisse, non autem de specie peccati, tenetur confiteri prout recordatur. *Cap. 6. n. 3. 4. 5. 6.* Confiten sciendum solum peccatum veniale quod non

con-

commisit, mortaliter peccat. *Tract. 24. Disp. 7. n. 141.*

## §. III.

*De Confessione sacramentali.*

16. *Confessio sacramentalis est legitima, & sacramentalis accusatio de peccatis propriis facta sacerdoti, ad eorum veniam per absolutionem virtute clavium obtinendam.* *Tract. 6. cap. 6. num. 1.* De sacramentali Confessione extat praecipuum divinum obligans omnes baptizatos habentes conscientiam peccati mortalis post Baptismum commissi. Hoc praecipuum non obligat statim confiteri post mortale commissum, etiam si quis commode possit, nec elicit actum contritionis; etiam si adit morale periculum oblivionis. Obligat hoc praecipuum in certo, vel probabili periculo mortis, verb. gr. instante praesio, periculosa navigatione, primo partu, gravi morbo, vel pelle grassante. Item hoc praecipuum tenetur infirmus, qui perseverans in periculo mortis, post factam confessionem iterum peccavit mortaliter. Similiter qui in mortali existens copiam habet Confessarii, quem probabiliter timet se non amplius habiturum. Extra periculum mortis probabilis est teneri ex vi huius praecipui conficium peccati mortalis ad non differendam Confessionem ultra annum. *Cap. 7. n. 1. 4. 5. 6. 7. 8. 9.*

17. Confessio per vocem non est de necessitate sacramenti, sed tantum ex praecipuo Ecclesiae desumpto ex usu, & praxi ejusdem. Non est contra valorem sacramenti quod confessio publice fiat. *Tract. 6. cap. 7. n. 11. 13.* Quando peccator nequit per voces confiteri, id prestare potest, & tenetur nitibus aliique signis, vel etiam scripto si commode, & sine periculo manifestationis fieri possit. nu. 14. 15. 17. Ex praecipuo naturali, quo constitutus in periculo mortis tenetur se reconciliare Deo, si habeat peccatum mortale, & non sit moraliter certus de habenda contritione, nec aliud suppetat medium ad reconciliationem,

quam per confessionem scriptam, vel per interpretem, vel publicam, ad hoc tenetur. In casu confessionis publicae, vel per interpretem non tenetur poenitens omnia confiteri, sed ea tantum, quae cum minori rubore dicere potest, addendo: *Et me accuso de omnibus aliis, quibus Deum offendi.* Qui in ultima confessione oblitus est alicuius mortalis, non tenetur illud publice, vel per interpretem confiteri, etiam si alio modo nequeat. n. 18. 22. 23.

18. Datur praecipuum Ecclesiasticum distinctum a praecipuo communionis, obligans omnes baptizatos conficium peccati mortalis post Baptismum commissi, ad confitendum semel in anno peccata sua. Hoc praecipuum obligatur etiam hereticis valide baptizatis, & etiam habentes tantum peccata mortalia interna; secus vero habentes tantum venialia, vel mortalia rite confessis. *Tract. 6. cap. 7. nu. 25. 26. 28. 29. 30.* Non tenetur ex vi huius praecipui confiteri venialia, quae habet aliquod mortale, quod ex iusta causa Confessario aperire non tenetur. Non habentes conscientiam peccati mortalis omitendo annum confessionem nec venialiter peccant. Lapsus in mortale licet justificatus per contritionem adhuc tenetur ad annum confessionem. *Tract. 24. Disp. 7. nu. 44. 45.* Qui in confessione confessus est sola venialia, oblitus invincibiliter unius mortalis quod habebat, vel illud ex iuxta causa reticens, tenetur illud confiteri ante finem anni pro adimplendo praecipuo Ecclesiastico. Existens in mortali si praevideat se longo tempore, & praesertim in articulo mortis non habiturum Confessarium tenetur ex praecipuo divino confiteri de praesenti. Procrastinans suam Confessionem ultra annum, non committit tot peccata, quot habet confitendi opportunitates, sed quantum differt eo magis auget suum peccatum.

19. Quolibet anni tempore impleri potest praecipuum annuae confessionis, computando annum iuxta communionem



sententiam ab uno Paschate in aliud. *Tract. 6. cap. 7. n. 35. 38.* Qui toto anno præcepti hujus adimpletionem omisit, tenetur initio sequentis confiteri. *nu. 39.* Qui incute anno prævidet se in toto anni decursu non habiturum copiam Confessarii, vel alia via, impediendum a Confessione, tenetur tunc adimplere præceptum. *nu. 40.* Qui semel confessus est sed tantum venialia; si ante finem anni mortaliter peccet, tenetur iterum eodem anno confiteri. *nu. 41.* Qui intra annum mortalia semel confessus est, si post confessionem iterum mortaliter peccet, non tenetur ex vi solius præcepti annuæ Confessionis iterum eodem anno confiteri. *nu. 42.* Qui siue culpabiliter, siue inculpabiliter distulit confessionem ultra annum, & in novo anno aliud, vel alia peccata mortalia antequam confiteatur commisit, per eam utriusque anni præcepto satisficit. Secus dicendum si in tali Confessione solum habuit mortalia præcedentis anni, & post eam in novum mortale incidit; nam in tali causa debet iterum confiteri. Qui adhibito sufficienti examine confitetur mortalia quorum recordatur; si post factam confessionem, alterius mortalis oblitus receditur, non tenetur amplius eo anno confiteri. Idem dicendum de eo qui ex justa causa aliquod mortale tacuit in confessione; confessus aliis mortalibus. *nu. 43. 44. 45.*

20. Per confessionem validam, & informem satisfit præcepto annuæ Confessionis, non vero per confessionem sacrilegam, aut ex quocunque capite nullam. *Tract. 6. cap. 7. nu. 45. 47. 49. 50.* Fideles excusantur ab hujus præcepti transgressione quoties absolute, vel sine gravi detrimento proprio, vel alieno in vita, fama, vel fortunis nequeunt sua peccata confiteri: hæc tamen causa excusat tantum quoad ea peccata, ex quibus imminet tale damnum; & non est sermo de detrimento famæ proveniente ex ipsa confessione apud Confessarium, sed aliunde. *nu. 51. &c.* Non excusantur a præcepto annuæ Confessionis, qui habet reservata, & adire nequit

Confessarium habentem facultatem; sed omnia inferiori aperire debet, & ab eo absolvi etiam a reservatis indistincte, & cum onere &c. *Tract. 24. Disp. 3. num. 70.* Excusatur etiam qui non potest habere Confessarium, nisi longum iter conficiat, si non urgeat æternæ salutis periculum. Excusatur quoque qui non potest sua peccata confiteri sub confessionis sigillo, ut si talis angustia loci sit, quod confiteri non possit nisi ab aliis audiatur. *Tract. 6. cap. 7. n. 55. 56.*

21. Integritas confessionis alia est materialis, qua quis omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, & alia non confessã memorizæ occurrence etiam interna, & occulta eorumque species, & numerum prout moraliter possibile est confitetur, quas vero non sunt in ipsius conscientia minime fingat, aut falso exponat: alia formalis, qua penitens de illis, quæ hæc & nunc potest, & debet aperire, confitetur, remanente obligatione cætera confitendi cessante impedimento. Integritas formalis per accidens, & extraordinarie sufficit; materialis vero per se & ordinarie requiritur. *Tract. 6. cap. 8. nu. 12.* Qui nequit explicare numerum præcium, & certum, debet dicere saltem numerum probabilem, verb. grat. decies paulo plus minusve, idest duo plus, vel minus; & si postea inveniat fuisse duodecies, non tenebitur illa duo amplius confiteri. Qui nequit dicere numerum probabilem, debet explicare consuetudinem, seu frequentiam, & tempus verb. grat. ter quaterve in hebdomada. In actibus internis melius ut in plurimum explicatur consuetudo dicendo: paratus fui ad complacentiam, vel desiderium in tali materia toties quoties occasio aderat, vel memoria. *n. 3.*

22. In explicandis specie, & numero peccatorum, attendi debet eorum distinctio specifica, & numerica in esse moris, non vero in esse physico: licet enim officio Patris ad occisio Sacerdotis sint ejusdem speciei in esse physico, sunt tamen moraliter speciei distinctæ. Sic licet unico

ictu tres homines occidere sit unica actio in esse physico, est tamen moraliter triplex homicidium; idemque dicendum de actibus internis. *Tract. 6. cap. 8. nu. 6. 8.* Præter ea quæ de distinctione specifica, & numerica peccatorum sparsum, & precipue. *Tract. 1. cap. 3. §. 2.* hujus summx dicta sunt, sciendum quod quando circumstantia invehit censuram, vel reservationem, vel addit actui novam malitiam specificam accidentalem, ut circumstantia loci sacri in furto, est necessarium in confessione aperienda. Licet laudabile sit confiteri circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes, ad id tamen per se loquendo, & ex hoc præcise quod aggravent, penitens non tenetur: bene vero quando mutant reatum de veniali in mortale, & quando ad iudicium ferendum de restitutione, vel ut innotescat Confessario dispositione penitentis, necessarium est, & cum circumstantia durationis actus peccaminosi plura involvit peccata numero diversa. Si peccatum fuit exterius consummatum, non sufficit actum internum confiteri, sed ipsum opus externum exprimi debet. *nu. 10. &c.*

23. Qui se accusat de transgressione voti non tenetur explicare an pluries votum, seu rei promissio facta fuerit. *Tract. 6. cap. 8. n. 53.* Solemnitas voti quod quis violavit, in sententia probabilis non est circumstantia necessario in confessione aperienda; sed sufficit dicere: commisi verb. grat. tale peccatum contra votum calitatis. *nu. 54.* Quod peccans contra calitatem sit Novitus, vel Novitia, hoc in confessione exprimere non est necess. *nu. 55.* Sponsus & sponsa de futuro se carnaliter committentes, vel alii cum ipsis, probabile est quod non teneantur circumstantiam sponfalium confiteri; quoad sponfalium tamen, & peccantes cum ipsa, probabile est talem obligationem induci. *nu. 56.* Peccantis dignitas verb. grat. quod sit Episcopus, Generalis &c., nisi adit scandalum, vel cooperatio ad peccata suorum ovium, non est circumstantia necessario exprimenda. Sic neque quod sit Governator

Civitatis &c., nisi cum aliorum delicta non impediunt. *nu. 63.* Quando ignorantia culpabilis non constituit speciale peccatum; non est necesse quod explicet, an scierit, vel ignoranter peccaverit, nisi cum ignorantia excusat a mortali, vel a censura in præceptis humanis, vel cum propter ignorantiam exponitur peccans periculo peccandi in alia specie, ut quando quis peccat cum foemina, cujus statum nescit. *nu. 66.*

24. Non tenetur penitens per se loquendo consuetudinem peccandi confiteri, sed tantum per accidens, quando scilicet necessarium est, ut Confessarius penitentis dispositionem, & obligationem sciat; & quando cunctis Confessarius de ea penitentem interrogat; & tandem quando per talem consuetudinem penitens est in proxima occasione peccandi: peccat enim talem occasionem advertenter ponendo, & eam tollere non curando. *Tract. 6. cap. 8. nu. 68.* Si eodem furto plures domini lædantur, ita quod singulorum læsio seorsim accepta sit gravis, tenetur penitens aperire quod domini sint graviter læsi. Copula cum conjugata, etiam consentiente marito, est adulterium, propter injuriam Sacramentum irrogatam. *nu. 70.* Votum habens castitatis si carnaliter peccet cum habente pariter tale votum: similiter, conjugatus copulam habens cum conjugata debent circumstantiam necessario in confessione aperienda; sed sufficit dicere: commisi verb. grat. tale peccatum contra votum calitatis. *nu. 54.* Quod peccans contra calitatem sit Novitus, vel Novitia, hoc in confessione exprimere non est necess. *nu. 55.* Sponsus & sponsa de futuro se carnaliter committentes, vel alii cum ipsis, probabile est quod non teneantur circumstantiam sponfalium confiteri; quoad sponfalium tamen, & peccantes cum ipsa, probabile est talem obligationem induci. *nu. 56.* Peccantis dignitas verb. grat. quod sit Episcopus, Generalis &c., nisi adit scandalum, vel cooperatio ad peccata suorum ovium, non est circumstantia necessario exprimenda. Sic neque quod sit Governator

frangit, quæ sub eadem ratione formalis, & intuitu ejusdem virtutis obligant, non tenetur omnia illa præcepta explicare. *Tract. 6. cap. 8. nu. 73.* Qui absque interruptione pluries appellat aliquem ebrium, vel pluries pejerat, vel pluribus plagis inimicum afficit, unicum numero peccatum committit, & si percussus sit Clericus, unicum excommunicationem incurrit. *nu. 74.* In contumeliis, detractionibus, judiciis temerariis probabile est, non teneri penitentem explicare vitia, defectus, vel contumelias: ut



ut si verb. grat. dixerit alicui, vel de aliquo esse furem, adulterum, homicidam &c. nu. 75. In peccato iactantiæ, quo quis fe de aliquo lethali peccato iactavit, vel laudavit, five iactantia sit cum gaudio, vel complacentia de ipso peccato commisso, (quæ utique complacentia non infrequenter reperitur in iactantia de peccatis vindictæ, vel luxuriæ,) five sit sine gaudio, vel complacentia, necesse est explicare speciem peccati, de quo fe iactavit, vel laudavit, nam iactantia approbationem continet. Si iactantia non est de opere malo perpetrato, sed de dexteritate, arte, vel viribus, non erit mortale peccatum. n. 76. 77. 80.

26. In peccato consilii de opere illicito explicanda est species peccati, de quo patrandum datum fuit consilium. Tract. 6. cap. 8. nu. 81. In peccatis odii exprimi debet in Confessione conjunctio personæ, quam quis odio habuit, an sit parens, vel filius; aut alius ex ascendibus, vel descendibus, an frater, Conjux, Prælati, Sacerdos, aut insignis benefactor. Idem dicendum de injuriis in honore, fama, membris vel vita inter prædictos, proportione tamen servata, & attentæ pietate, ac reverentia singulis debita: si enim filius in patrem contumeliosa verba proferat, si patrem percussit, licet percussio levis sit in ratione nocenti; si deliberate manum attollat ad percussendum, etsi percussio non sequatur: si torvis oculis aspiciat, vel ita asperè alloquatur, ac si odio haberet, graviter peccat. E contra si patrem filium verbis contumeliosis, vel asperè afficiat, aut eum percussit, multo levius peccatum erit, & sæpe nullum. nu. 83. 84. 87. Injuria illata cognatis, aut consanguineis remotioribus, non importat circumstantiam necessariam in Confessione exprimentam. n. 89. Non omnia peccata, quæ sunt contra Sacerdotem habent ex hoc circumstantiam mutandam speciem, sed tantum illa, quæ omnibus attentis redundant in gravem irreverentiam Sacerdotii. n. 91.

27. Explicari debet in Confessione nu-

merus, & conditio personarum coram quibus quis turpia locutus est, vel scandalum præbuit. Tract. 6. cap. 8. nu. 92. Blasphemia hæreticalis, blasphemia ex odio Dei, & blasphemia contumeliosa differunt specie; & probabiliter etiam blasphemia imprecativa a blasphemia contumeliosa. Pariter specie differunt blasphemia in Deum, in B. Virginem, & in alios Sanctos. n. 94. 95. 96. In peccato infidelitatis explicari debet an fuerit Judæismus, Paganismus, vel Hæresis. n. 100. Copula, pollutio voluntaria, homicidium, seu injuriosa sanguinis effusio in loco sacro, etsi notoria non sint, nec in publicam notitiam deveniant, sacrilega sunt, & circumstantia loci sacri est exprimentia. nu. 102. Probabiliter est sacrilegium committi etiam subripiendo quæcumque rem in loco sacro existentem, five Ecclesiæ tradita sit in custodia, five non nu. 103. Qui extra Ecclesiam existens desiderat pollui, furari, vel aliud sacrilegium in Ecclesia committere, tenetur circumstantiam loci explicare. nu. 104. Pollutio habita in cellis Religiosorum, etiam si superior dormitoria, & cellas singulis noctibus benedicat, & aqua benedicta aspergat, non importat specialem malitiam in confessione aperientiam. n. 105. Instrumentum peccati non est regulariter necessarium explicandum, nisi talis instrumenti ulus aliunde sit peccatum. nu. 106. De scandalo Vide tract. 2. sect. 64.

28. Duratio seu diuturnitas actus non est necessario exprimentia, nisi per eam contingat peccata numero multiplicari moraliter. Tract. 6. cap. 8. n. 113. In tanto actus peccaminosus tunc solum est in confessione explicanda cum inducit effectum specie diversum: ut cum quis verb. grat. ex nimio odio non tantum inimicum occidit, sed etiam ducit, iecur extrahit &c., quia tunc contrahit speciem feritatis. Finis ex- trinsicus si non est ex se malus non confert actui novam speciem; at si habet ex se malitiam specie distinctam, eam actui communicat, & in confessione, aperiri debet; ut si quis

si-

faretur ad fornicandum: possunt tamen hæ duæ malitiæ seorsim aperiri, dicendo, furatus sum, deinde dicendo intentionem habui fornicandi. Tract. 24. Disp. 8. nu. 162. 164. 166. Se ponere in periculo peccandi, resistere divinæ inspirationi, & non orare dum quis est in gravi tentatione, non sunt peccatum specie, aut numero distinctum ab eo quod inde sequitur, nisi intercedat mora sufficiens ad moralem interruptionem. nu. 167. Si femina vim inferat viro, committit speciale peccatum raptus, & injustitiæ; turpius enim est, quod femina ad libidinem explendam vim inferat viro, quam e contra. n. 169.

29. Circumstantia temporis tunc addit actui novam malitiæ speciem, quando actus habet oppositionem ad tempus in quo exercetur; ut si quis in hebdomada Sancta comædias exhiberet: In die Parasceves scortum publice circumduceret: statim post communionem fornicaretur, aut se pollueret &c. Tract. 24. Disp. 8. nu. 174. Omittens correptionem, explicare debet, an esset debita ex charitate, vel ex justitia. nu. 148. Ad speciem raptus non est necesse quod sequatur copula, sed sufficit vim inferre animo explendi libidinem, stuprum vero copulam exigit. Tr. 26. cap. 4. n. 31. Ab integritate materiali confessionis excusat potentia tum physica, tum moralis. Et Primo. Excusantur qui adhibito sufficienti examine alicujus peccati non recordantur. Secundo. Mutus, balbutiens, vel alterius idiomatis, qui peccatum vel nullo modo, vel sufficienter explicare non potest. Tertio. In periculo mortis constitutus, si sit periculum decedendi sine absolutione quando velit omnia confiteri; quod si plures in eodem periculo sint, auditus a singulis uno vel altero, eos absolvere poterit; aut saltem omnibus in eo periculo constitutis in communi, & in consensu auditis, omnes simul absolvat dicendo: ego vos absolvo &c. Tract. 24. Disp. 8. n. 213. & Tract. 6. cap. 8. n. 115.

30. Ob impotentiam moralem excusatur, qui abique gravi damno proprio, vel alieno omnia confiteri non potest. Quare pœnitens morbo contagioso laborans, si neque eminus sine periculo Confessarii integre confiteri non potest, aliquibus peccatis confessus absolvi poterit. Si pœnitenti ex manifestatione alicujus peccati aliquid grave damnum imminet, urgente præcepto annuæ Confessionis, vel obligatione celebrandi, aut communicandi, tenetur illo tacito alia confiteri; dummodo tamen alteri confiteri non possit. Sic qui peccatum aliquod confiteri non potest, nisi simul detegendo peccatum, & personam complicis notam Confessario, ex qua manifestatione grave damnum eidem complici securum timeatur, nec alteri confiteri possit, cui persona complicis nota non sit. Sola autem amissio bonæ opinionis apud Confessarium, five pœnitentis, five complicis non excusat ab integritate materiali Confessionis. Pœnitens qui sine necessitate manifestat Confessario personam complicis, mortaliter peccat. Habens justam causam tacendi aliquid peccatum, non debet plura tacere quam opus sit ad proprium, vel complicis damnum evitandum, Qui non potest actum externum confiteri, debet saltem confiteri actum internum. Qui ex quacunque justa causa aliquid peccatum tacuit, illud tenebitur suo tempore confiteri. Tract. 6. cap. 8. num. 119. &c. Tract. 24. Disp. 8. nu. 224.

31. In moribundo pro danda absolutione, si aliquid haberi non possit, sufficit eum generaliter se accusare de peccatis, vel petiisse Confessarium, vel dedisse pœnitentiæ signa, etiam absente Confessario, dummodo testis de visu, vel saltem de auditu non desit. Tract. 24. Disp. 8. nu. 227. 230. 234. Si nullum pœnitentiæ signum habeatur saltem per testimonium, absolutio dari non potest; deest enim sensibilis, & externa confessio, quæ est pars essentialis. Possit tamen, & debere absolvi sub conditione, saltem ab extrinseco probabile est; maxime

si



si Christiane vixerit, & Confessionem frequentaverit. Si moribundus signa dedit, sed dubitatur an sint signa doloris nec ne, adhuc sub conditione absolvi potest. num. 245. Puer de quo dubitatur an habeat utrum rationis, & confitetur aliquod veniale in articulo mortis, immo etiam extra articulum mortis, sub conditione absolvi debet. Sacerdos qui omnino fanus Missam inchoavit, & post confessionem generalem cecidit moribundus, ex illa præcise confessione absolvi non potest; quia illa Confessio non fuit directa ad absolutionem sacramentalem recipiendam. Tract. 6. cap. 8. num. 144. 145.

32. In Confessione generali exprimentum est, quænam sint peccata post ultimam Confessionem commissa. Tr. 24. Disp. 3. n. 247. Mentiri in Confessione circa ea quæ non pertinent ad Confessionem, vel circa materiam non necessariam est peccatum veniale cæteris mendaciis gravius: mentiri vero circa materiam necessariam, nisi ignorantia excuset, est semper peccatum mortale. nu. 250. 256. Confessio facta ex fine venialiter malo v. gr. inanis gloriæ, supposito quod penitens accedat ex fine remissionis peccatorum, & cum sufficienti dolore, & proposito, licet adit etiam finis ille inanis gloriæ, valida est; ille etenim finis venialiter malus concomitanter se habet. Tract. 6. cap. 9. num. 6. 7. Valet confessio ab excommunicato nondum absoluto bona fide, vel in gravi necessitate facta. cap. 9. nu. 1. Confessio ex parte penitentis est invalida, & iteranda: si sine debito dolore, & proposito confessus est: Si mala fide tacuit aliquod peccatum mortale: si non habuit intentionem sacramentaliter confitendi. Advertendum tamen quod qui mala fide tacuit peccatum mortale, si postea huius sacrilegii oblitus plures alias confessiones bona fide fecit, non tenetur has repetere, sed tantum eam, quam mala fide fecit. nu. 8. &c.

33. Qui in Confessione aliquod mortale prætermisit putans invincibiliter non

esse mortale; aut aliquam circumstantiam necessariam exprimentam ex ignorantia invincibili omisit, ab iteranda confessione excusatur. Præcise ob non adimpletam penitentiam minime est iteranda confessio. Qui bona fide numerum peccatorum mortalium majorem vero confessus est, non tenetur cognito vero numero eum confiteri. Qui in confessione oblitus est circumstantiam mutantem speciem, v. gr. circumstantiam voti in peccato fornicationis, sufficit postmodum confiteri eam circumstantiam dicendo: peccavi graviter contra votum. Tract. 6. cap. 9. num. 11. &c. Ex defectu Confessarii confessio invalida est, & iteranda: si non habuit debitam intentionem absolvendi: si absolutionem non impendit: si iurisdictione carens absolvit, nisi communi errore, & titulo colorato crederetur habere, nam in hoc casu Ecclesia supplet iurisdictionem. Hinc sequitur. 1. Validam esse absolutionem collatam cum opinione probabilis de iurisdictione. 2. Valide absolvi eum, qui confessus est Parocho nominatim excommunicato in eo loco ubi non erat nota excommunicatio, & communi errore, & titulo colorato credebatur verus Parochus. 3. Validam esse absolutionem collatam ab eo cui Episcopus verbis tantum, sed absolute vera intentione, & fide facultatem concessit. 4. Invalide prorsus absolvi eum, qui non est verus Sacerdos licet communi errore, & titulo colorato habeatur pro vero Sacerdote. nu. 16. &c.

34. Si Sacerdos ob surditatem, distractionem, aut somnum peccata non intellexit, dummodo penitens bona fide processerit, & culpa solius sit Confessarii, valida est, & fructuosa confessio, cum obligatione tamen consentiendi non audita, habita noticia defectus. Qui post longam confessionem, data absolutione, advertit Confessarium aliqua non audivisse, vel non intellexisse, & nescit quænam illa sint, non tenetur totam repetere Confessionem; bene vero si fuit brevis talis Confessio debet

bebit autem in alia Confessione illum defectum aperire, & determinare materiam quoad possibile erit, dicendo: Scio, vel dubito Confessarium non audivisse aliquod peccatum; solebam autem hæc, & hæc peccata confiteri. Tract. 6. cap. 9. 23. 24. Confessio bona fide facta Sacerdoti nescienti discernere inter mortale, & veniale, & species peccatorum, valida est, & minime repetenda; peccat tamen talis Sacerdos: quod si penitens Sacerdoti sic ignoranti sciens, & advertens confiteatur, confessio invalida erit, & peccabit mortaliter. num. 26. 28.

35. Si Confessio invalida reiteretur apud diversum Confessarium, omnia filligantur: recensere oportet, ac si nunquam ea Confessus fuisset; similiter si apud eundem Confessarium, qui ita peccatorum penitentis oblitus est, ut neque generaliter, & in consilio de iis, & de statu penitentis recordetur. Si vero de iis distinde, vel saltem in consilio recordetur, sufficit expressè de omnibus se accusare, & addere: iussu me accuso de omnibus, quæ in tali Confessione aperui. Valida est Confessio quam penitens non potuit una vice complere, sed pluribus diebus perfecit obtenta in fine absolutione. Tract. 6. cap. 9. nu. 30. "Potest dari Confessio valida, & informis. Ita D. Thom. cum pluraquam 40. Auctoribus. Hoc accidit cum penitens integre sua peccata confiteretur cum supernaturali de eis attritione, quam bona fide efficacem putat, sed est inefficax. Item cum quis omittit aliquod peccatum ex negligentia graviter culpabili in examine, non tamen crassa, affectata, vel supina, sed pure vincibili orta ex simili ignorantia pure vincibili, & graviter culpabili, non tamen crassa, supina, vel affectata: nempe cum penitens fecit examen revera insufficiens, id tamen expressè non advertit, sed tantum implicite, & interpretative, quasi proprium defe-

Part II.

(\*) Hunc modum minime esse admittendum, probabilis est; prout patet ex dictis sect. 8.

ctum formidando. Hæc negligentia arguitur, si post Confessionem plura peccata oblitæ memorie occurrant, quam quæ detecta sunt; si vero multo pauciora, signum est examen fuisse sufficiens. 36. Confessio non integra ex negligentia graviter culpabili crassa, supina, vel affectata invalida est. Confessio vero non integra ex negligentia graviter culpabili sed simpliciter invincibili valida est, & fructuosa. Qui ex ignorantia pure vincibili, & graviter culpabili non apponit dolorem efficacem, vel sufficiens examen, efficitque sacramentum validum, & informem, tenetur postea suæ conscientie culpam confiteri. Tract. 24. Disp. 3. nu. 36. 37. Potest etiam dari Sacramentum penitentiae validum, & informem in casu quo quis v. gr. habens unum peccatum mortale detractionis alterum sacrilegii, detractionis oblitus confitetur tantum peccatum sacrilegii cum attritione supernaturali concepta, non ex generali motivo complectente virtualiter etiam peccatum detractionis, de quo oblitus est invincibiliter, sed ex speciali turpitudine ipsius sacrilegii, ob oppositionem ad specialem virtutem insultam, qui dolor ad detractionis peccatum nec virtualiter se extendit. Tract. 6. cap. 5. nu. 1. 9. (\*)

37. Satisfactio sacramentalis est opus bonum, Deo gratum, & aliqua ratione laboriosum assumptum ad solutionem illius pœnæ temporalis, quæ debetur pro peccatis. Tract. 6. cap. 10. nu. 1. Hæc opera non solum sunt satisfactoria extra sacramentum ex opere operantis, sed etiam in sacramento ex opere operato, & efficacius. nu. 2. Effectus satisfactionis sacramentalis ex opere operato est in non ponentibus obicem remissioni alicujus pœnæ temporalis pro peccatis debitæ præter illam: quæ correspondet merito operantis. nu. 4. Probabile est, quod satisfactio sacramentalis prestata in peccato mortali, ablato obice peccati, suum fortiatum effectum. nu. 6. Habet etiam

L11

satisf-



satisfactio sacramentalis vim impetrandi gratias prevenientes, & auxilia divina ad facilius peccata cavenda. nu. 7. Insuper in probabili sententia confert augmentum gratiæ ex opere operato. n. 11.

38. Confessarius regulariter, & per se loquendo tenetur satisfactionem injungere. *Tract. 6. cap. 10. num. 15.*

Ob sola venialia, vel mortalia jam rite confessi nullam imponere satisfactionem, secluso contemptu non est grave peccatum. Obligatio imponendi satisfactionem est ex genere suo gravis; ideoque mortaliter peccaret qui levem satisfactionem pro gravibus peccatis imponeret. Aliquando tamen licet hoc Sacramentum ministrare, nulla imposita satisfactione, cum scilicet pœnitens est in extremis constitutus. Aliquando etiam levem satisfactionem imponere licet, ut quando pœnitens accedit cum maxima contritione, vel tempore Jubilei; aut Indulgentiæ plenariæ; *Tract. 24. Disp. 11. num. 5. 9. 11.* Peccat mortaliter pœnitens injunctam pro peccatis mortaliibus gravem satisfactionem non accedendo, vel non exequendo; si vero levius est, secluso contemptu, omissio erit venialis. nu. 14. 25. Si pœnitens eam adimpleat in peccato mortali satisfacit quidem suæ obligationi, sed venialiter peccat. Pœnitens qui supposita gravitate materiæ satisfactionem per annum protrahit, peccat mortaliter, licet a Confessario tempus non fuerit assignatum. n. 39. 40. 42.

39. Scrupuloso, qui sæpius successively intra horam cum novis culpis accedit, ut iterum absolvatur, potest eadem satisfactio imponi, quæ prius imposita fuerat. Cum Sacerdos credit pœnitentem nullam satisfactionem admittiturum, vel non executurum, poterit ei saltem leviorē imponere. *Tract. 6. cap. 10. nu. 24. 25.* Opus a Confessario imponendum debet esse moraliter bonum, & ex se Deo gratum, sive sit actus externus, sive internus. Possunt etiam injungi opera aliàs debita ex pre-

cepto; & hoc non solum valide, sed etiam licite ex justa causa. nu. 26. 27. 28. Si injungatur quotidiana auditio Sacri, sufficere diebus festis unicum audire ad satisfaciendum utriusque obligationi; at si injungatur auditio Sacri semel, vel bis in hebdomada non satisfiet per auditionem unius Sacri in die festo. Si injungatur elargitio elemosinarum, non sit satis per elargitionem eorum, quæ ex justitia debentur; aut quæ restituentur. num. 30. &c. Potest etiam injungi cessatio ab aliquo opere bono, ob aliud majus bonum. Item preces, & alia pro defunctis. nu. 36.

40. Pro peccatis secretis publica satisfactio imponenda non est. Si autem publica sint, & cum scandalo, nedum licitum, sed & aliquando necessarium erit publicam satisfactionem imponere. Potest etiam injungi ut toties confiteatur, & Eucharistiam sumat. Item ut Confirmationem recipiat, si non sit confirmatus; ut extremam unctionem sumat, si sit in extremis. Ad Ordines autem, vel ad Religionem, aut Matrimonium obligari non potest. *Tract. 6. cap. 10. nu. 39. 40. 41.* Si pœnitentia injuncta non impleatur, tempore præfixo, debet postea quamprimum impleri. num. 67. Pœnitens nequit propria auctoritate satisfactionem sibi injunctam per alium adimplere, sed eam tenetur exequi per seipsum. Circumstantia satisfactionis si sit gravis, & valde ad finem intentum conducens: ut si injungeretur Psalmos pœnitentia; les flexis genibus recitare; sub gravi obligat. *Tract. 24. Disp. 11. num. 47.* Si opus a Confessario præscriptum alligetur tempori, v. gr. ut proxima feria 6. jejunes, proculdubio teneris illud tali tempore exequi; at si ob impotentiam, vel malitiam opus injunctum omissi, illud quam primum exequi teneris; fecus dicendum si per longum tempus v. g. semel in hebdomada esset jejunandum; tunc enim non censetur Confessarius velle obligare pœnitentem ad supplendum pro diebus omissis, ne-

minis

minis gravetur. *Tract. 6. cap. 10. nu. 66. 67.*

41. Pœnitens nequit satisfactionem sibi injunctam inæquale, aut in melius commutare. Confessarius autem potest opus a se injunctum commutare intra Confessionem, vel immediate post; & potest etiam commutare satisfactionem ab alio etiam superiore impositam, ob sibi reservata iterum eadem peccata audiendo, & absolvendo. *Tract. 24. Disp. 11. nu. 52. 53. 57.* Facta legitima commutatione, liberam est pœnitentem primam eligere, vel secundam. Verius est ad commutationem etiam ab eodem Confessario faciendam debere pœnitentem saltem præcipua peccata, ob quæ satisfactio commutanda imposita fuerat, iterum confiteri, nisi Confessarius saltem in confusio eorum recordetur. *Tract. 6. cap. 10. num. 77. 79.* A satisfactione præstanda excusatur pœnitens, si omnino injunctam esse constat; si sit moraliter impossibilis; si a pœnitentis Superiore prohibeatur opus injunctum. nu. 80. 81. 82. Qui sive culpabiliter, sive inculpabiliter oblitus est operis injuncti, si credat Confessarium memorem esse, tenetur si potest eum adire, & interrogare. Si credat memorem non esse, & ipse pœnitens culpabiliter oblitus fuit, tenetur in prima Confessione hanc culpam confiteri. n. 83. Per Jubilei aut Indulgentiæ plenariæ lucracionem excusatur pœnitens ab executione satisfactionis ut punitivæ, & solutivæ reatus, non vero ut medicinalis. *Tract. 24. Disp. 11. n. 78. 79.*

## §. IV.

*De Ministro Pœnitentiæ.*

42. Solus Sacerdos potest esse minister Sacramenti pœnitentiæ. *Tract. 6. cap. 11. nu. 1.* Hinc inferitur, quod qui valide non recipit potestatem consecrandi, valide quoque recipere non potest potestatem absolvendi. nu. 2. Potestas spiritualis alia est Ordinis, quæ in ipsa

Ordinatione omni Sacerdoti confertur: alia jurisdictionis quæ confertur quando subditi assignantur in quos potestas Ordinis exerceatur. nu. 5. Jurisdictio ipsi ritualis duplex est: una Fori externi, & contentiosa; altera fori interni, & pœnitentialis. Jurisdictio fori interni, (de qua hic loquimur,) alia est Ordinaria: alia Delegata. Illa competit ex officio, qualem habent summus Pontifex, & omnes Prælati subditos habentes: Altera competit Sacerdotibus ex commissione Ordinariam habentibus. Utraque autem dividitur in certam, probabilem, dubiam, & titulo colorato habitam; quæ scilicet nititur officio, cui annexa est jurisdictionis, cum tamen titulus aut officium nullum sit impedimentum pœnitentibus occultum. *Tract. 24. Disp. 12. nu. 56. 57.* Ad valide ministrandum hoc Sacramentum, præter potestatem Ordinis requiritur etiam Jurisdictio, sive ordinaria, sive delegata. *Tract. 6. cap. 11. n. 4.*

43. Omnis, & quilibet Sacerdos potest absolvere a quibuscumque peccatis, & censuris quemlibet pœnitentem in articulo, seu periculo mortis, hic enim utrumque pro eodem accipitur. Periculum incidendi in amentiam æquipatur periculo mortis. Etiam in captivitate constitutus cum nulla, vel fere nulla spe evadendi, si credat postea se non habiturum copiam Confessarii, potest a quolibet absolvi. Ab hac facultate absolvendi in articulo mortis nullus excluditur, licet excommunicatus, hæreticus, suspensus, irregularis, degradatus, non approbatus, vel expositus. Absolutus autem in articulo mortis a reservatis non tenetur amplius se superiori præsentare, nisi illa peccata habuerint annexam censuram, tunc enim tenetur comparere, non ut iterum absolvatur, sed ut se absolutum ostendat, & paratum ad obediendum. *Tract. 6. cap. 11. nu. 19. 20. 21. 23. 27. 28.* In articulo mortis si adfit approbatus, vel facile vocari possit, nequit moribundus non approbato confiteri. n. 29.



44. In articulo mortis non potest simplex Sacerdos absolvere, præsentem approbato; nec facultate carens in reservata, ( si pœnitens reservata habeat, ) præsentem eo qui facultatem habet; nec suspensus, excommunicatus, irregularis, degradatus, hæreticus, schismaticus, &c. præsentem alio, qui ab his impedimentis liber est & immunis. Simplex Sacerdos, & alibi approbatus in hoc casu æquiparantur, ideoque in articulo mortis, cullibet illorum fieri potest Confessio. *Tract. 24. Disp. 12. nu. 63.* Confessio in articulo mortis incepta apud non habentem facultatem, potest etiam superveniente approbato compleri, & absolutio impertiri. Qui a non approbato in valide absolutus est in articulo mortis, ex defectu dispositionis, potest denuo eidem Sacerdoti confiteri pro valida absolutione, etiamsi supervenerit facultatem habens; obtenta prius a superveniente Superiore absolutione a censuris reservatis, si quæ pœnitens habeat, quia prior confessio cum absolutio fuerit invalida, non censetur completa. *Tract. 6. cap. 11. nu. 36.* Pœnitens valide absolutus in articulo mortis a non approbato, nequit superveniente approbato priori Sacerdoti peccata oblita confiteri. *nu. 37.* Si in articulo mortis adfit facultatem habens ex privilegio, nequit moribundus simplici Sacerdoti confiteri. *nu. 38.* Si in articulo mortis adfit facultatem habens in non reservata, debet pœnitens huic & non reservata, & etiam reservata confiteri, & ab eo absolvi, cum in hoc casu jurisdictionem habeat etiam quoad reservata. *nu. 39.*

45. Quilibet Sacerdos poterat olim ex jure communi valide, & licite absolvere a venialibus, & a mortalibus jam antea rite confessis; tamen post decretum Innoc. XI. quod obligat sub gravi, id amplius non licet. Verum cum non irritet confessiones aliter factas, si pœnitens bona fide cum venialibus ad simplicem Sacerdotem accedat, valida est Confessio,

sed Sacerdos decreti conficius mortaliter peccat, si absolvat. *Tract. 24. Disp. 12. nu. 68. 72. 73.* Minister ordinarius hujus Sacramenti est summus Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopus pro sua Diœcesi, & Parochus pro sua Parochia. Etiam Vicarius Episcopi habet ordinariam jurisdictionem, eamque delegare potest. Item Vicarius capitularis Sede vacante. *Tract. 6. cap. 11. nu. 41. 43. 45.* Vicarius Foraneus solam illam jurisdictionem habet, quam ei confert Episcopus, & non est ordinaria, sed delegata. *nu. 44.*

46. Episcopis, & aliis Prælati exemptis, ipso jure concessum est: quævis providum & discretum Confessarium sibi eligere: eoque indulto gaudent etiam Prælati Regulares, præteritum Generales, Provinciales, immo & immediati Prælati habentes jurisdictionem in utroque foro. *Tract. 6. cap. 11. nu. 48. 49.* Cardinales ex consuetudine possunt sibi eligere Confessarium, immo & dare facultatem suæ familiæ ad sibi eligendum. *nu. 50.* Parochi non possunt sibi eligere in Confessarium Sacerdotem a proprio Episcopo non approbatum, juxta *Decr. Alex. VII.* Et multo minus pro sua Parochia exponere possunt a suo Episcopo non approbatus. *nu. 50. 51.* Vagi confiteri debent Sacerdoti approbato in ea Parochia, ubi actu degunt. *nu. 52.* Iter agentes Parocho, vel alteri approbato in loco ad quem perveniunt. *nu. 53.* Habentes domicilium in duplici loco, utrobique apud ibi approbatum confiteri possunt. *nu. 54.* Parochi & Episcopi etiam extra locum propriæ jurisdictionis suum subditum absolvere possunt. *nu. 55.*

47. Minister delegatus est omnis Sacerdos, cui non competit ex officio Confessiones audire, eam tamen facultatem accipit ab habente ordinariam jurisdictionem. *Tract. 6. cap. 11. nu. 56.* Facultas delegata omnino dependet a Ministro ordinario, qui etiam potest facultatem subdelegandi concedere. *nu. 57.* Nec Regulares, nec Capellanus conductus

ductus a Parocho subdelegare possunt. Loco Parochi ab ipso Parocho, vel ab Episcopo subrogatus ad annum, vel seminannum, potest alteri ( ab Episcopo approbato, vel beneficium curatum habenti ) facultatem, quam habet subdelegare ad unum vel alium actum particularem tantum. *nu. 60.* Vid. infra *sect. 57.* Prælati Regularis facultatem habens absolvendi a reservatis, non potest eam suis subditis impertiri, nisi de expressa Episcopi concessione. *61.* Ex privilegio illo absolvendi omnes fideles Regularibus concessio, absolvi non possunt illi Religiosi, quibus per propria statuta extra suum Ordinem confiteri prohibetur. *nu. 64.*

48. Ad jurisdictionem in foro pœnitentiæ alteri delegandam, requiritur a Qualis delegantis consensus signo aliquo externo manifestatus, nec sufficit futura rathabitio, nec voluntas præsumpta conditionata, quam verbis grat. Episcopus haberet si sciret, vel si facultas particularetur ab eo. *Tract. 6. cap. 11. nu. 65. 66. 67.* Qui cum jurisdictione delegata cœpit audire Confessionem, potest prosequi, & absolvere etiamsi interim expiret delegatio. *nu. 69.* Jurisdictione delegata mere dubia nemo uti potest, nisi in casu magnæ necessitatis, si remedium tutius exhiberi nequit: ut si urgente ex obligatione necessitas celebrandi, & non adest qui confessionem excipere possit, nisi Sacerdos dubius de sua jurisdictione: tunc autem absolutio sub conditione impendi debet. *nu. 72.*

49. Licitæ est administratio Sacramenti pœnitentiæ cum jurisdictione probabilis gravibus innixa fundamentis, gravibusque fulcita Doctoribus; nec obstat decretum Innocentii XI. nam ibi solum damnatur usus opinionis probabilis, relicta tutiore circa materiam, formam, & intentionem ministris, quia hæc ab Ecclesia supplementi non possunt. Insuper Pontifex dammando ulum opinionis probabilis, relicta tutiore de valore sacramentorum, loquitur de opinione probabilis conjuncta formidini comparative ad

tutam, non vero de tuta comparativè ve ad tutiorem, licet verba specie tenus aliud innuere videantur. *Tract. 24. Disp. 12. nu. 80. 85.* Jurisdicatio ad audiendas Confessiones generaliter delegata non expirat morte delegantis, vel cessante ejus officio, vel ejus depositione, aut renunciatione, donec a successore revocetur, aut præfixum tempus impleatur. Idem dicendum de facultate eligendi Confessarium pœnitentiæ concessa. *Tract. 6. cap. 11. nu. 78. 80. 83.* Jurisdicatio, seu facultas ad beneplacitum Sedis, non expirat morte concedentis; nec etiam concessa cum clausula. *Donec aliter disposuero: Donec revocavero; bene vero si dicatur. Ad beneplacitum nostrum: Donec voluero:* *nu. 85.*

50. Nullus Sacerdos five secularis, five Regularis potest confessiones secularium etiam Sacerdotum audire sine Episcopi approbatione, nisi beneficium curatum habeat, exclusis quoad hoc quibuscumque privilegiis. Prælati Regulares nequeunt sine Episcopi approbatione secularium confessiones audire, nec veniunt nomine Parochorum, seu beneficium curatum habentium. *Tract. 24. Disp. 12. nu. 88. 89.* Approbatio in hoc consistit, quod Sacerdos ad Confessiones audiendas, tum quoad scientiam, tum quoad mores, & prudentiam habilis, & idoneus iudicetur, & declaretur. Hæc approbatio a jurisdictione distinguitur, & multoties una ab altera separatur. *Tract. 6. cap. 11. nu. 86.* Ad Confessiones secularium necessaria est approbatio, non tantum ut licite, sed etiam ut valide fiant. *nu. 88.* Legitime obtinentes aliquod beneficium, cui annexa sit cura animarum nulla indigent approbatione. *nu. 89.*

51. Magistri, Doctores, aut licentiatii in Theologia, vel jure Canonico, secularium etiam Sacerdotum Confessiones sine Episcopi approbatione excipere nequeunt; decet tamen tales viros sapienter examini non subijcere. Approbatio pro Confessionibus facta ab Episcopo ex-



communicato vitando, aut suspensio ab Officio, & jurisdictione non valet. Si Episcopus eum, quem in mente sua iudicat non idoneum, exterius approbet, peccat quidem graviter, sed valida est approbatio. Approbatio simoniace ob-  
tenta valida est. *Tract. 6. cap. 11. nu. 90. 91. 92. 94.* Sæculares Sacerdotes approbationem, & jurisdictionem ab Episcopo accipiunt: Regulares respectu suorum Religiosorum utramque a suis Prælati obtinent; respectu vero sæcularium approbationem quidem ab Episcopo, jurisdictionem vero a Summo Pontifice habent. *Tract. 18. cap. 4. num. 41.* Licet Episcopus Regularem præsentatum a suis Prælati, & manifeste idoneum sine causa rejiciat, & approbare nolit, non remanet eo ipso approbatus. *Tract. 6. cap. 11. nu. 95.* Vide prop. 13. damn. ab Alex. VII.

52. Approbatio dari non potest ab Episcopo electo nondum confirmato: nec ab Episcopo consecrato jurisdictionem non habente: bene vero ab Episcopo confirmato, nondum consecrato: dari etiam potest a Capitulo Sede vacante; & ab aliis Prælati Diocesim habentibus, & Episcopalem jurisdictionem in illis. *Tr. 6. cap. 11. nu. 96.* Limitate approbatus ex defectu ætatis ad Confessiones viro-  
rum, nequit a femina eligi virtute Bullæ cruciatæ in Confessarium. nu. 102. Approbatus ad Confessiones puerorum, & rusticorum non est eligibilis ab aliis per Bullam, aut Jubileum; sic pariter approbatus pro uno loco tantum, non est eligibilis in alio loco. nu. 104. Peccat Episcopus si Sacerdotibus etiam sæcularibus dignis, & idoneis approbationem sine justa causa denegat, aut legitime datam absque justa causa revocet. nu. 106. Si sine justa causa Episcopus approbationem alicui absolute datam revocet, satis probabile videtur, invalidam esse revocationem. nu. 107. Ex causa justa & sufficienti potest etiam Religiosi approbatio prius absque limitatione concessa revocari. n. 108.

53. Regulares ad audiendas confessiones sæcularium, præter Episcopi ap-

probationem, debent etiam habere suorum Prælatorum licentiam, qua deficiente, confessiones solum valide, sicut alicui Confessarii sæculares excipere possunt; sed valide uti nequeunt iis facultatibus, quæ virtute privilegiorum competunt Regularibus. *Tract. 6. cap. 11. num. 109.* Regulares qui sine suorum Prælatorum licentia confessiones audiunt sæcularium cum sola Episcopi approbatione, & facultate, seu jurisdictione, quam in tali casu ipse confert, peccant graviter, vel leviter juxta suarum legum præscriptum. nu. 110. Episcopi, alique Prælati sæculares, extra suam Diocesim nequeunt vigore privilegii Cap. fin. de pœnit. cum Sacerdote sibi subdito, vel non subdito confiteri, nisi sit approbatus ab Episcopo loci, ubi volunt confiteri, ut declarat Greg. XIII. *Tract. 24. Disp. 12. nu. 90. 94. 95.* Approbatio pro confessionibus sæcularium habenda est ab Episcopo loci, seu Diocesis ubi confessiones audiendæ sunt. nu. 112. Non approbatus ab Episcopo loci ubi est audienda confessio, non est eligibilis in Confessarium, virtute Bullæ cruciatæ, neque Jubilæi etiam anni Sancti; bene vero Parochi, alique beneficium curatum actualiter habentes in eadem, sive in altera Diocesi. nu. 113. 117. 118. Beneficium curatum habentes, possunt etiam sine Bulla cruciatâ sui subditi Confessiones ubique audire. n. 119.

54. Regulares, alique beneficium curatum non habentes actualiter, nisi approbati ab Episcopo loci, ubi audienda est confessio, licet habeant jurisdictionem a Summo Pontifice delegatam, vel approbationem alterius Episcopi, nullatenus possunt confessiones audire, etiam subditorum illius Episcopi a quo sunt approbati, neque eligi virtute Bullæ cruciatæ, Jubilæi &c. *Tract. 24. Disp. 12. num. 120.* Regulares in una Diocesi approbati nequeunt in alia, ubi non sunt approbati confessiones audire. At semel in una Diocesi approbati, si inde rece-

,, dant

55. Graviter peccat Episcopus contra justitiam, si absque justa causa ad confessiones pertinentem, idoneum Regularem a suis Prælati præsentatum approbare nolit. Verum talis Regularis injuste rebrobus nec licite, nec valide sæcularium confessiones audire potest. *Tract. 18. cap. 4. num. 61. 65.* Potest Episcopus ex justa causa ad confessiones pertinentem cum limitatione ad tempus, personas aut loca, Regularem præsentatum approbare: quod si talis justa causa non adit, non potest Episcopus Regularem cum limitatione approbare; & si approbationem limitet, nihil facit, & talis Regularis potest ultra approbationis limites valide, & licite confessiones audire. nu. 67. 68. Episcopi solum de scientia Regularis examinare possunt, prout statuit Leo X. in Conc. Later. & ita intelligendum est etiam Decretum Tridentini; examen autem quoad vitam, & mores pertinet ad ipsorum Prælatos. Si tamen Episcopo constet, Religioso deesse vitæ integritatem, aut de hoc prudenter dubitet, poterit approbationem negare, vel cum limitatione concedere. n. 69.

56. Idem Episcopus non potest Regulares semel a se absolute approbatos, nec valide, nec licite iterum ad examen vocare, nisi ex justa causa ad confessiones pertinentem, dicta autem justa causa interveniente ab eo cognita, & approbata, poterit unum, vel alterum Regularem suspendere a confessionibus, & iterum si opus sit examinare: Omnes autem unius Conventus Confessarios suspendere, vel ad examen vocare inconsulta Sacra Congregatione non potest; si vero cum limitatione approbati fuerint, planum est posse Episcopum eorum iterum vocare ad examen, ut iterum ad ulteriorem terminum approbentur. *Tract. 18. cap. 4. nu. 112. 114.* Episcopus successor si per edictum generale revocet omnes licentias audiendi confessiones, non censetur loqui de Regularibus, nisi exprimentur. nu. 115. Regulares approbati absolute ab Episcopo, non possunt sine nova causa ad confessiones pertinentem ab eorum successore iterum examinari, & approbati. Capitulum, sede vacante, non potest generaliter omnium Regularium suspendere licentias, eoque ad examen, & approbationem revocare. n. 116. 119.

57. Quilibet sæcularis a Pontifice, vel proprio Prælati indultum habens, seu facultatem eligendi sibi idoneum Confessarium, debet omnino eligere ab Episcopo approbatum, etiamsi hoc in privilegio expressum non fuerit. *Tract. 18. cap. 4. num. 49.* Nequeunt Parochi post Concilium Tridentinum sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem eligere: cum hoc tamen statim posse Parochum pro se, & pro suis ovibus alteri Parochi jurisdictionem conferre, & cum illo liberè confiteri immo pro se, & pro suis ovibus quemcumque Sacerdotem ab Episcopo approbatum exponere. *Tract. 18. cap. 4. num. 53. 54.* Prælati Regulares, Vicarii, nec non & quicumque conventuum Præsidentes possunt sibi eligere in Confessarium quemcumque simplicem Sacerdotem, tam sæculares quam Regulares etiam alterius Ordinis, tam intra quam extra Conventum, qui eos absolvat ab omnibus, a quibus ipsi possunt suos subditos absolvere, etiamsi habeant eorum Confessarii sui Ordinis, si non detur in sua Religione statutum contrarium. n. 50. 123.

58. Novitii, & qui mox ingressuri sunt Religionem, nec non & famuli commensales Conventus possunt ex vi

pri-



privilegiorum confiteri Confessario ab Episcopo non approbato sicut alii Religiosi eiusdem Conventus; gaudent enim Religiosorum privilegiis: verum si voluerint, etiam non expectata Prælati licentia poterunt cuilibet extraneo ab Episcopo approbato confiteri. Tract. 18. c. 4. n. 57. Religiosi sine suorum Prælatorum licentia non possunt cum Religiosis alterius Ordinis, & multo minus cum secularibus Confessariis confiteri, nec intra nec extra suos Conventus, si copiam Confessarii sui Ordinis habeant: De Prælati vero licentia tacita, vel expressa possunt, sive intra sive extra Conventum cuilibet simplici Sacerdoti confiteri. Quare si alicubi consuetudo vigeat videntibus, & consentientibus Prælati, ut Religiosus intra vel extra domum cum quolibet Sacerdote confiteatur, poterit simplici Sacerdoti seculari, vel Regulari suæ, vel alterius Religionis confiteri. n. 49. 56. 122.

59. Religiosi itinerantes, vel extra Conventum existentes, & non habentes sui Ordinis Confessarium, nisi detur in sua Religione statutum contrarium, cuiusque simplici Sacerdoti seculari, vel Regulari alterius Ordinis confiteri possunt ex praxi, & ex tacita Prælatorum licentia. Tract. 18. cap. 4. num. 125. Religiosi nostri dum extra Conventum reperiuntur, si velint confiteri, & habeant Confessarium ex nostris approbatum a Superioribus, tenentur sub præcepto apud illum confiteri; eo autem deficiente, & simplici Sacerdote nostro ibi existente, possunt quidem, sed non tenentur eidem confiteri. Ita ex declar. Defin. Gen. 4. Nov. 1740. Poterunt autem in tali calu cuilibet simplici Sacerdoti seculari, vel Regulari alterius Ordinis confiteri. num. 125. In nostra Congregatione Hispana si Religiosi nostri extra domum existentes non habeant Confessarium ex nostris approbatum, sed tantum simplicem Sacerdotem suæ Religionis, non possunt apud istum confiteri, & si ei confiteantur invalida est confessio: poterunt autem confiteri cuicumque etiam simplici Sacerdoti seculari,

vel Regulari alterius Ordinis. num. 124. Religiosus noster in una Provincia approbatus non potest valide confessiones audire Religiosorum nostrorum in alia Provincia sine licentia Provincialis illius Provincie, nisi habeat facultatem a Generali: Hospites tamen in aliqua Provincia approbati possunt sibi invicem confiteri. Ex declar. Defin. Gener. 12. Nov. 1725.

60. Tempore magnorum Jubilæorum, quæ toti Ecclesie conceduntur, & maxime in assumptione ad Pontificatum, possunt utriusque sexus Regulares, juxta tenorem Bullæ confiteri cum Religiosis alterius Ordinis, absque Prælatorum suorum licentia, etiam si copiam Confessarii sui Ordinis habeant, non obstantibus sui Ordinis constitutionibus, vel privilegiis in contrarium. Tract. 18. cap. 4. num. 124. Bulla Cruciatæ non suffragatur Religiosis, sive Monialibus quoad clausulam eligendi sibi Confessarium quem voluerint, etiam extraneum ex approbatis ab Episcopo, qui possit eos abolvere a reservatis, vel non reservatis, sine licentia suorum Prælatorum: bene vero de eorum licentia tacita, vel expressa. num. 134. 136. Non approbati a suis Prælati pro confessionibus Fratrum audiendis, secundum statuta propriæ Religionis, etiam si approbati sint ab Episcopo, non possunt nec licite, nec valide Fratrum suorum confessiones audire. Cum autem aliquando in privilegiis pro absolutione a talibus, vel talibus casibus requiratur in Confessario, quod sit a suis Superioribus deputatus, per hanc deputationem nihil aliud intelligitur, quam quod talis Confessarius sit a Prælo expressitus pro Fratrum confessionibus excipiendis. n. 140.

61. Requiritur in Confessario pro administrando pœnitentiæ Sacramento status gratia, & mortaliter peccare abolvens in peccato mortali. Tract. 6. cap. 12. num. 1. 2. Requiritur etiam scientia sufficiens ad discernendum inter mortale, & veniale: insuper debet agnoscere species, & numerum peccatorum, & circumstantias necessario explicandas, & cir-

ta-

tamen in omnibus, sed saltem in iis, quæ communis, & frequentius accidunt; circa alia vero dubitare sciat, & consilium accipere a viris doctis. Tenetur insuper scire, quanam sit ex parte pœnitentis dispositio necessaria: an sit in occasione proxima: an teneatur satisfacere, restituere &c. Præterea debet scire Matrimonii impedimenta, censuras, irregularitates, casus reservados, & remedia peccatorum. Hæc autem scientia non æqualiter ubique requiritur, sed major in uno loco quam in alio, & respectu unius personæ quam alterius. num. 3. &c. Quando dandum est consilium, vel resolvendum dubium circa restitutionem, si Confessarius per se deliberare nescit, & pœnitens promittit stare peritorem iudicio, eum abolvat. num. 10. Qui ex industria querit Confessarium indolentem, & insufficientem graviter peccat, & invalidè confitetur. Excusabitur tamen tum pœnitens, tum Confessarius in casu quo Confessarius doctus non adfit, non solum in articulo mortis, sed etiam quando alioqui multo tempore sine confessione stare deberet. n. 11. 12.

62. Quando Confessarius advertit pœnitentem non præmississe sufficiens examen, tenetur eum interrogationibus adjuvare; non debet tamen pœnitentem indiscretis interrogationibus fatigare de his, quæ eum non commisisse probabile est; bene vero interrogare debet de iis, quæ novit aut probabiliter credit eum ex oblivione, inadvertentia, vel ignorantia tacuisse. Si vero probabiliter iudicet ex conditione personæ, moribus, scientia, aliisque circumstantiis, pœnitentem rite, & integrè confessum, non tenetur ad aliquid inquirendum. Tract. 6. cap. 12. num. 14. &c. Magna prudentia in interrogando opus est, & maxime circa peccata carnis, ne ignarum doceat, scandalizet, vel periculo exponat. num. 20. 22. Si confessio prolaxa sit, non expedit interrogationes necessarias, & admonitiones de restitutione faciendi, occasione proxima dimittenda, &c. reservare ad finem confessionis propter periculum oblivionis. num. 25. Qui

Part II.

multo tempore bona fide insufficientem confessi sunt, non explicando species, & numerum peccatorum non sunt cogendi iterare Confessiones sic factas cum indolentibus Confessariis, dummodo ex aliquibus indicibus saltem percipere possit, quantum in præteritis annis peccaverint. nu. 27.

63. Qui fecit pœnitentem aliquod peccatum commisit, quod nec ex se, nec interrogatus confitetur, & scit etiam evidenter non alteri confessum fuisse, non potest illum abolvere. Tract. 6. cap. 12. num. 28. Pœnitenti rite peccata confitenti, & disposito tenetur Confessarius sub gravi culpa absolutionem impendere; nec licite potest ejus absolutionem differre sine rationabili causa. n. 29. 30. Contenti peccata sua absque debito dolore, vel non integrè pro fuo captu, absolutionem negare debet, quousque legitime doleat, & integrè confiteatur. nu. 31. Incapax absolutionis est qui nescit, sive culpabiliter, sive inculpabiliter Mytheria Fidei; nam hæc sciri debent ex necessitate medi. Ex necessitate præcepti sciri debent, & explicite credi omnes articuli in Symbolo Apostolorum contenti. Sciri quoque debent decem præcepta Decalogi, Ecclesie præcepta, septem Sacramenta, & oratio Dominica, ut alibi dictum est. Si pœnitens ignoret Doctrinam Christianam, a Confessario, vel ab alio instruendus est. Ipsum quoque, si opus sit, docere debet ea, quæ ad rite confessionem faciendam necessaria sunt: & etiam de obligatione restituendi, denunciandi, & de aliis obligationibus, quas habere invenerit. n. 32.

64. Si pœnitens laboret ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, eum monere debet, & veritatem docere: si laboret ignorantia invincibili, vel saltem non mortaliter culpabili, & sit de necessariis necessitate medi, omnino docendus est; si vero fit solum de necessariis necessitate præcepti, & sperat monitionem profuturam, & scandalum aut grave damnum non timetur, eum admonere debet: sed si vel fructum non speratur, vel scandalum, aut grave damnum timetur, illum in sua bona fide re-

M m m

lin-



linguat. Idem dicendum quando bona fide cum ignorantia invincibili possidet rem alienam. *Tract. 6. cap. 12. num. 32.* At si agatur de Matrimonio contrahendo, & ignoret pœnitens impedimentum dirimens regulariter omnino moneendus est. Similiter si pœnitens dubitet de valore Matrimonii, de jure pœnitentem debuit, de obligatione restituendi &c., & a Confessario quærat veritatem, debet eam Confessarius aperire. *num. 35. 36.* Si ignorantia pœnitentis redundat in damnum publicum, debet illum moneere: ut si Parochus invincibiliter haberet opinionem erroneam circa mores, quas subditis ingereret: vel si adverteret esse aliquem invalide ordinatum: si esset fama publica de nullitate matrimonii, quam ipse conjux ignoraret: Item si ex silentio Confessarii inferret pœnitens aliquid contra Fidem, vel bonos mores. *nu. 37.* Quando Confessarius sperat, quod licet admonitio de præsentis profutura non sit, brevi tamen suum effectum habebit, moneere debet: si vero dubitet an profutura, vel obfutura sit, eligat quod præponderare videtur. *num. 38. 39.*

65. Si Confessarius Principis, Gubernatoris, Prælati, & similium scit ipsos non satisfacere suo debito circa subditorum regimen, electionem ministrorum, collationem beneficiorum &c., cum raro contingat ignorantiam esse invincibilem, & inculpabilem, aut talem, quæ non afferat scandalum subditis, vel damnum commune, regulariter admonere tenetur pœnitentem, quicumque ille sit, de sua obligatione; caveatque ne eorum faciem formidans cum ipsis in foveam cadat. Si non scit, sed dubitat, pœnitentem interroget, quomodo se gerat: si vero dubitet de jure, aut obligatione pœnitentis, consulat Auctores, & viros doctos, ac pios. Si viderit pœnitentis hujusmodi ignorantiam esse invincibilem, nec inde sequi scandalum, aut damnum commune; e contra vero admonitionem in majus pœnitentis malum futuram, aut allaturam scandala, & incommoda, dissimulare poterit. *Tr. 6. cap. 12. n. 40.*

66. Confessarius moneere debet pœnitentem reum pœnæ capitis ut crimine fateatur, quod licite negare non potest, etsi propter hoc sit interficiendus: Judicem quoque ut reum capite plectat, quando iustitia id exigit & satis probabile est eum propter hoc minime irregularitatem incurere: Vide *tract. 16. sect. 124.* Si tamen pœnitens invincibiliter putet, se non teneri ad criminis manifestationem, serventur regulæ numero datæ. *num. 41.* Supposita gravitate materiæ, & confessione incepta quilibet Confessarius tenetur sub mortali pœnitentem sequentem opinionem practice probabilem absolvere, licet ipse contrariam teneat; quam tunc tenetur deponere saltem per extrinseca principia; si vero confessio incepta non sit, & ipse non est proprius pastor, minime tenetur. *n. 44. 45.*

67. Multiplex defectus committi potest a Confessario in audienda confessione. Primo. Si ob ejus negligentiam pœnitens aliqua peccata, vel eorum numerum, aut circumstantias necessario exprimendas bona fide omittat. In hoc autem casu si nullum immineat damnum tertii, non tenetur iterum vocare pœnitentem ad hunc defectum supplendum; sed sufficit, quod de suo peccato doleat: Si ipse Confessarius non fuit causa defectus, sed pure negative, aut omnivise se habuit, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non interrogando quæ interrogare debebat, peracto sacramentali iudicio amplius interrogare, aut examinare non tenetur; bene vero si fuit causa defectus, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, asserendo verb. grat. non esse necessarium explicare circumstantias, numerum &c.; vel ita se gerendo ut pœnitens credat hæc non esse necessario explicanda: & in hoc casu debet pœnitentem moneere, petita prius ab eo licentia loquendi; nisi inde Confessario grave damnum immineat. Quando autem Confessarius in hoc graviter non peccavit, minus requiritur ad eum excusandum. Si pœnitens redeat ad aliam confessionem, debet corrigi defectus prioris.

ris ut posterior confessio integre, & legitime fiat. *Tract. 6. cap. 12. n. 46. 47. 48. 49.*

68. Secundo. Si Confessarius dixit pœnitenti, eum non teneri ad restitutionem, quam scit esse debitam, vel injunxit indebitam; cum graviter peccaverit contra iustitiam, tenetur eum docere veritatem, vel intra confessionem, si brevi redeat, vel extra, vocando eum, & petendo loquendi licentiam: & si non admoveat, aut pœnitens admonitus non possit restituere, cum prius possit, tenetur Confessarius, prout potuerit, restituere, si pœnitens aliam restitisset. Si vero Confessarius bona fide, & absolute sua gravi culpa id fecit, tenebitur quidem, si poterit, moneere pœnitentem de suo vero debito: at si non possit, vel pœnitentem impotentem inveniat, non tenebitur ipse Confessarius restituere. Si solum negative omisit obligare; si delegatus sit, solum ex lege charitatis admonere tenetur; si vero sit Parochus, tenetur ex iustitia; non tamen erit Parochus ipse restitutioni obnoxius, quia ejus obligatio non est ad creditorem, sed ad pœnitentem. *n. 51.*

69. Tertio. Si Confessarius non protulit integram formam; si caruit intentione absolvendi, vel desuit illi iurisdictioni necessaria, aut pœnitenti debita dispositio; & cum in tali casu defectus sit in substantia, & valore Sacramenti, nec possit supplere defectus Confessarii per absolutionem in absentem prolatam, tenebitur ipse, si defectus fuit ex parte sui tantum, curare, ut iterum sibi pœnitens confiteatur, & tunc post confessionem eorum, quæ post illam confessionem commisit, eum interrogare an ea confessus fuit, quorum saltem consilium habeat Confessarius memoriam, & de his quantum opus est se accuset; & sic absolutio etiam ad illa omnia terminabitur. Si vero defectus fuit ex parte pœnitentis, vel ex parte utriusque, tenetur per se loquendo Confessarius, id est si sine suo gravi damno, vel alieno, & sine scandalo fieri possit, vocare pœni-

tentem, ut iterum sibi confiteatur; & si ad hoc induci nequit, petita licentia ei detegere veritatem, ipsumque clare admonere de priori errore, ut emendetur. Probabile est Confessarium, etiamsi in gravi culpa fuerit nullitatis Sacramenti, non teneri cum gravi damno proprio, vel alieno moneere pœnitentem de defectu, nisi in casu quo pœnitens esset in articulo mortis, & moriturus cum illa invalida absolutione; tunc enim tenetur, sive culpabiliter sive inculpabiliter talem errorem commiserit. *Tract. 6. cap. 12. num. 53. 54. 56.*

## S. V.

*De casuum reservatione.*

70. Certum est esse in Ecclesia potestatem referendi quædam peccata, a quibus inferiores Confessarii absolvere non possunt. Superiores, qui reservare possunt sunt Summus Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diocesi, Prælati in suis Religionibus, & Parochus in sua Parochia. Nullum est hodie peccatum Summo Pontifici reservatum, cui non sit annexa censura ipsi reservata. *Tr. 6. c. 13. n. 1. 2. 3.* Licet a Summo Pontifice non solum reservetur censura, sed etiam ipsum peccatum per se, & immediate, sublata tamen censura Pontifici reservata, vel ea non incurra, peccatum est gravissimum sit, reservatum non est. *num. 4. 7.* Episcopi in suis Diocesium reservare possunt, & de facto sibi reservant peccata non habentia excommunicationem annexam. *num. 8.* Prælati Religionum non possunt sibi reservare casus nisi ad normam Decreti Clem. VIII. *Santissimus &c.* In nostra Congregatione Italica tres tantum sunt casus reservati, scilicet Apostasia, violenta manu injectio in Clericum, & transgressio præcepti sub pœnæ excom. aut alterius censura. *n. 9.*

71. Nulla de facto datur reservatio venialium, nec ab alio quam a Summo Pontifice reservari possunt. Licet peccata mere interna reservari possint ab Eccle-



clesia, de facto tamen non reservantur nisi peccata externa: ut autem peccatum externum censetur reservatum, requiritur quod actus externus sit secundum se mortaliter peccaminosus, aliter licet actus internus fuerit mortaliter peccaminosus, non erit talis actus externus peccatum reservatum: Quare furari intendens verb. grat. decem aureos, si tantum furetur duos obolos, reservationem non incurrit. Tract. 6. cap. 13. num. 10. 11. 12. Insuper ut peccatum quodcumque censetur reservatum, debet actus externus mortaliter peccaminosus esse consummatus, & perfectus in genere suo: & cum lex reservativa penalitatis sit, debet etiam intelligi secundum proprietatem verborum: & ideo si simpliciter reservetur sodomia, solum intelligitur reservata sodomia proprie talis completa, & consummata, nempe masculi ad masculum, vel femine ad feminam cum immixtione seminis in vase præposito. Tract. 26. cap. 7. num. 80. 109. 112. Reservatio indiscreta valida est, sed illicita. Tract. 6. cap. 13. num. 18. Omnis reservatio non solum est penalitatis, sed etiam medicinalis. Ignorantia censuræ etiam si sit culpabilis, dummodo non crassa, vel supina, omnino liberat a reservatione. Ignorantia quoque saltem inculpabilis ipsius reservationis casus, vel censuræ ab ipsa reservatione liberat. Tract. 18. cap. 4. n. 9. 10. 13.

72. Peccata dubia licet possint reservari, de facto tamen nisi expresse reserventur, reservata non sunt; etiam si habeant annexam censuram reservatam. Quare si quis dubitet, an peccatum commiserit, cui certo scit annexam esse censuram reservatam, seu reservationem; dubitet an tale delictum, quod certo commisit, sit reservatum; si dubitet an fuerit veniale; ratione materię levis, vel imperfecta deliberationis, immunis erit a reservatione: Qui cum prædicto dubio, siue facti siue juris, ab inferiori Confessario fuit absolutus, non tenetur si postea certo cognoscatur tale peccatum commississe, esse mor-

tale, & reservatum, coram Superiore comparere; nam directe est absolutus. Tract. 18. cap. 4. nu. 15. 16. Tract. 6. cap. 13. n. 13. 14. 15.

73. Juxta Bullam Bened. XIV. 17. Maji 1741. Absolvi nequeunt penitentes sollicitati, nisi prius denuncient, vel saltem cum primum posuerint se denunciuros promittant sollicitantem quomodolibet exemptum, & cujuscumque sit dignitatis; si verbis, siue signis, siue nutibus, siue tactibus, siue per scripturam tunc vel postea legendam tentaverit: etiam si sit Sacerdos jurisdictione carens ad validam absolutionem; etiam si sollicitatio sit mutua; siue sollicitationi penitens consenserit, siue non; etiam si longum tempus a sollicitatione effluxerit; etiam si sollicitatio facta fuerit pro alia persona; aut juxta Greg. XV. *Constitutionem*. Fallo denunciantes Confessarium innocentem, & ad falsam denunciationem inducentes, vel inducere procurantes, a nullo Confessario quovis privilegio auctoritate, vel dignitate munito absolvi possunt, præterquam in articulo mortis, vel a Summo Pontifice. Item prohibetur unicuique Confessario quovis privilegio, & specialissima nota suffulto absolutio complicis a peccato contra 6. præceptum præterquam in mortis articulo, deficiente alio Sacerdote; & talis absolutio irrita est, & nulla; ita quod nec per Jubilæum aut Bullam cruciatam absolvi possit talis complex, & absolvere præsumens excommunicationem majorem Summo Pontifici reservatam incurrit: ita ex Bulla præcitata.

74. A reservatis in primis absolvere potest qui reservavit; & ille qui in eodem genere, & Foro superior est reservante: unde Archiepiscopus non potest absolvere a reservatis suffraganeo suo, nisi in actu visitationis. Tract. 6. cap. 13. nu. 20. 21. Peregrinus veniens ad aliam Diocesim sine animo mutandi domicilium, bona fide; & non in fraudem reservationis, sed propter sua ne-

negotia potest absolvi a quocumque Confessario approbato a reservato in sua Diocesi; si non sit reservatum in loco ubi confitetur; si autem in loco confessionis, vel utrobique reservatum sit, absolvi non potest. nu. 22. 24. 26. Si penitens ex aliqua Diocesi cum peccato in ea non reservato veniat ad locum ubi est reservatum, & illud apud proprium Parochum confiteatur, poterit hic cum a tali reservato absolvere. nu. 27. Certum est illum habere facultatem delegatam absolvendi a reservatis, qui eam obtinuit a reservante, vel ab ejus superiore, vel ab eo qui in reservata habet ordinariam facultatem. nu. 28. A quibus casibus Pontifici reservatis possint Episcopi absolvere, Vid. Tract. de Censuris.

75. Episcopus, & ejus Vicarius possunt per suum Confessarium absolvi ab omnibus reservatis, a quibus ipsi possunt alios absolvere: & ideo Episcopus potest etiam absolvi per suum Confessarium ab iis casibus summo Pontifici reservatis, quorum absolutio ipsi est delegata. Tract. 6. cap. 13. nu. 34. 35. Idem dicendum de Prælati Regularibus, nisi in propria Religione detur statutum contrarium. n. 36. Si Confessarius obtinuit facultatem a Prælo pro absolutione a reservatis, ea uti potest tam ut ipse absolvat, quam ut alios absolvat; nisi determinate concessa sit ad alium absolvendum. nu. 37. Facultas petita, & concessa pro hac vice ad absolvendum aliqueum a reservatis, si ex tenore verborum non restringitur ad jam commissam, seu expositam, vel super peccato semel, aut toties commissio, sed indefinite concessa sit, extenditur etiam ad commissam post concessam facultatem. n. 38. 39. Facultas absolvendi a reservatis extenditur etiam ad commissam ex confidentia ipsius. num. 40. Obtenuta absolutione ab habente facultatem in reservata, etiam si confessio invalida fuerit ob defectum integritatis aut dispositionis, cessat reservatio quoad illa quæ in confessione exposita sunt: fecus dicendum de absolutione obten-

virtute Jubilæi, si penitens illud accipere nolit. n. 41.

76. Per Confessionem legitimam factam habenti facultatem, tollitur reservatio etiam quoad peccata invincibiliter oblita, & quoad ea, quæ ex justa causa prætermittuntur, etiam si habeant annexam censuram. Tract. 6. cap. 13. n. 44. 45. 46. Qui virtute Jubilæi absolutus est a peccatis, per illam absolutionem liber remanet a reservatione quoad oblita, ita ut ea cuiuslibet Confessario confiteri possit. nu. 55. Qui tempore Jubilæi confitetur cum intentione lucrandi illud, & virtute illius absolvitur a reservatis, si postea Jubilæum non accipiat, remanet nihilominus vere absolutus, nec reservatio reviviscit. nu. 56. Supposita sententia probabilis, quod ad Jubilæum lucrandum non sit necessaria confessio; si quis factis examine non inveniens peccatum mortale, de quo confiteatur, habeat tamen mortale reservatum, de quo invincibiliter oblitus est; poterit post lucratum absque Confessione Jubilæum, virtute ejusdem Jubilæi ab illo reservato oblito absolvi a quolibet Confessario. n. 58.

77. Perenti facultatem ut a reservatis absolvatur regulariter concedenda est; nisi prudenter timeatur talem concessionem futuram esse subdito occasione peccandi, aut in alterius damnum cessuram. Tract. 6. cap. 13. nu. 60. Non debet Superior sine justa causa repellere Confessarium licentiam postulantem absolvendi a reservatis, & adigere penitentem, ut iterum sua peccata confiteatur. nu. 61. Negata a Superiore facultate absolvendi, non licet penitentem absolvere, nisi aliqua urgeat gravis necessitas. nu. 62. Si Prælati Regularis denegat facultatem absolvendi a reservato, contra id quod Confessarius iudicat fieri debere; poterit hoc non obstante pro ea vice Confessarius Regularis penitentem absolvere ab illo, vel ab illis reservatis. Ita ex declarat. Clementis VIII. Concedens subdito facultatem eligendi Confessarium non censetur concedere ut a reservatis absolvatur. n. 63. 64.